

De gastritide chronica : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Armin Benzler.

Contributors

Benzler, Armin.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qbtfv2au>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2
D E
GASTRITIDE CHRONICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXXI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

ARMINIUS BENZLER


BUCKEBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

G. MÜRMANN, MED. ET CHIR. DR.

L. GUNKEL, MED. ET CHIR. DD.

H. DIESTEL, MED. ET CHIR. CAND.



BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

noted

CASTLETON

THE

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON

CASTLETON



P A T R I

OPTIMO DILECTISSIMO

F. BENZLER

HASCE
STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMO CUM AMORE

D. D. D.

FILIUS.

Gastritis chronica sedem habet in tunica ventriculi mucosa, aut in ejusdem glandulis mucosis eaque saepenumero a parvo et circumscripto loco ordiri videtur. Quamquam ventriculus quotidie processu concoctionis continuam patitur irritationem, tamen ad acutam inflammationem parum propensus est, ita ut gastritis acuta idiopathica ad rarissimos referenda sit morbos. Et re vera characteristicam ejus symptomata tantum ex iis fere casibus nobis innotuerunt, in quibus hoc malum venenis corrodentibus inductum est; eo frequentior autem chronica hujus organi inflammatio observatur, quamquam novissimis tantum temporibus anatomia pathologica clariorem huic malo lucem affudit. Etenim cum antea ad latam dyspepsiae, hypochondriae et cardialgiae notionem referretur, anatomia pathologica in omni fere dyspepsia, quae remediis adhibitis per longius temporis spatium resistat, ventriculum etiam organice aegrotare docuit; ita ut, qui in praxi id parum consideret, ma-

xima aegrotis inferre possit damna. Veruntamen Broussais ejusque asseclae in hac re erraverunt, cum quamque dyspepsiam ex inflammatione oriri putarent et in quavis ventriculi affectione ad hirudinum applicationem et diaetam aquosam confugerent; quo factum est, ut haud raro malum non modo non sanarent, sed etiam augerent. Quemadmodum in quoque organo, ita etiam in ventriculo morbi existunt et sine laesione organica et cum structurae alienatione, id quod quisque medicus practicus haud dubie saepe viderit; error tamen incredibili symptomatum similitudine facillime excusari potest; fatentur enim clarissimi auctores, se saepe de hujus morbi diagnosi errasse.

SYMPTOMATOLOGIA.

Gastritis chronica saepissime tam occulte insidioseque irrepit, ut maligna morbi natura non prius cognoscatur, quam in ulcerationem transierit. Saepenumero ulcerationem ventriculi videmus sine ullo graviore symptomate, donec subito paroxysmus oritur, qui aegrotum brevissimo tempore interficiat. In prioribus morbi stadiis signa maxime eminent ea, quae laesam ventriculi functionem indicant, quaeque plerumque ampla dyspepsiae notione comprehenduntur. Aegrotus saepenumero pyrosin accusat, ructus, flatulentiam et ingratum post coenam ventriculi sensum, tanquam pondus regionem epigastricam premat.

Plerumque aegrotus etiam dolorem aliquem regionis dictae queritur, qui autem acerbitate et diuturnitate maxime variare potest; saepe enim tantum post coenam percipitur, per tempus concoctionis summa cum vehementia perdurat, et post concoctionem evanescit. Dolor interdum tantum assequitur gradum, ut aegroti humi prostrati, alta voce conlament; in aliis casibus tantum obtusus atque hebes dolor sentitur. Appetentia saepenumero nihil minuta est, quamquam aegrotus tantum invitus cibos assumere solet, quod ingestis dolores efficiuntur; ita ut saepe aegroti bona valetudine se frui affirment, dummodo cibos ingerere non debeant. In aliis casibus dolor magis continet et cibis tantum augetur; nonnunquam dolores dorsi aegrotum vexant. Abercrombie (1) plura affert exempla, in quibus aegri nullum dolorem, sed tantum ingratum ardoris sensum querebantur, aut pyrosi laborabant. Oritur subinde vomitus, rarus in prioribus morbi stadiis, ita ut diaetae vitio, aut alia causa accidentali effici putetur; postea frequentior fit, haud vero tam regularis, ut graviolem affectionem adesse aliquis putet. Massa quae vomitu editur, aut ex ingestis constat, aut in nonnullis casibus e materia pellucida, quasi vitrea, albumini simili; ita Andral exemplum affert mulieris, in quo

(1) Abercrombie über die Krankheiten des Magens und Darmkanals. Aus dem Englischen von G. van dem Bosch. Bremen, 1830.

secretum illud intra quatuor et viginti horas copiam fere quatuor mensurarum (Pinten) aequabat; quae mulier nunquam cibos assumptos vomitu edidit. Instituta sectione omnes tunicae crassiores inveniebantur. Quod fluidum haud raro striis atris tinctum est, aut colorem habet fuscum, pastae cacao similem; saepe sanguine coagulato mixtum est; quin etiam merus sanguis nonnunquam evomitur et vera haematemesis oriri potest. Regio epigastrica aliquantulum inflata est, quamquam nullus hepatis aut lienis tumor animadvertitur, in explorando epigastrio id percipitur, quod Franco-Galli »renitence« vocant. Lingua haud raro aspera est et valde sensibilis; in nonnullis casibus lingua atque pharynx parvis exulcerationibus aut aphthosis integumentis oblecta reperiuntur. — Hisce symptomatibus morbus, praesertim si apta victus ratione ejus progressus impediuntur, per complures menses perdurare potest; sensim autem ingrata regionis epigastricae sensatio perseverare vomitusque saepius irruere coepit, donec aegrotus macie tabeque lenta interficiatur, aut inter paroxysmum subito obeat.

Symptomata autem in plerisque casibus tam varia atque diversa observantur, ut descriptio omnibus casibus consentanea vix exhiberi possit. Vomitus exempli gratia interdum aut plane abest aut tantum rarissime exoritur, et symptomata maxime eminentia sunt dolores post coenam, macies et sensatio, tan-

quam ventriculus ne minimam quidem ciborum copiam continere possit, quod saepenumero unicum hujus insidiosi morbi signum est, ut in casu a Chardel (1) tradito, in quo aegrotus per complures menses bis tantum aut ter vomuerat. Post mortem tunicae superioris ventriculi partis crassiores et glandulae lymphaticae partium vicinarum intumefactae inveniebantur; ulceratio affuit nulla. Similem casum enarrat Abercrombie. In aliis casibus aegrotus imprimis de continua et dolorifica pyrosi conqueritur et sensim sensimque tantopere macrescit, ut gravis functionum organicarum laesio luculentissime conspiciatur. Quae pyrosis in nonnullis casibus secretionem liquoris acris efficitur, cujus nonnunquam magna copia evacuatur; saepe autem pyrosis tantum a morboso membranae mucosae statu pendere videtur, ita ut cibi mitissimi eam irritationis sensationem procreent, quae integro ventriculo tantum acribus ingestis efficitur. Saepè conqueruntur aegroti, ne aptissimam quidem dietam pyrosim levare, sed omnia, quae assumserint, statim acidissimam subire naturam. — Alii exstant casus, in quibus aegroti usque ad paroxysmum letalem fere nullis morbi signis laborarunt; ita Abercrombie refert de muliere viginti annos nata, quae nunquam de symptomatibus dyspepsiae conquesta, sed semper

(1) Chardel, über die scirrhusen Ausartungen des Magens, in der neuen Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für practische Aerzte. 1822, Band IV.

bona valetudine usa fuerit. Subito autem vehementissimis doloribus abdominis et omnibus peritonitidis signis correpta, et quamquam statim aptissima remedia adhibebantur, intra octodecim horas mortua est. Instituta sectione, cavum abdominis aëre et potu assumpto impletum inveniebatur, peritonaeum valde inflammatum et intestina materie purulenta oblecta. In minore ventriculi curvatura rotundum conspiciebatur foramen, diametrum tertiae fere pollicis partis aequans; tunicae ventriculi autem in hac parte per ambitum quinque aut sex pollicum crassiores factae erant.

Symptomata consensualia, quae in gastritide acuta haud raro tantum gradum assequuntur, ut affectio primaria nonnunquam plane obscuretur, deesse solent in chronica ventriculi inflammatione; quod discrimen etiam in reliquorum intestinorum morbis observatur. In gastritide acuta atque veneficio venenis corrodentibus inducto aeger plerumque tussi vexatur sicca, quae in decursu morbi humida redditur; quamquam autem omnia symptomata morbum pulmonum indicare videntur, tamen hujus organi fabrica initio quidem non affecta est. *Stockes* (1) omnia sympathica illa pectoris symptomata post hirudinum applicationem ad regionem epigastricam statim eva-

(1) Ueber die Heilung innerer Krankheiten. Deutsch von *Behrend*. Leipzig 1835.

nuisse asserit, imprimis in infantibus. Eodem modo in gastritide acuta saepe cerebri affectio observatur; dolor capitis, inquietudo, insomnia, quin etiam deliria saepe magis morbum cerebri indicant, quam ventriculi. Ita Andral enarrat, in decursu gastritidis acutae trisimum apparuisse, secto cadavere autem in cavo cranii nihil esse inventum. Aliter res se habet in chronica ventriculi inflammatione; in centum casibus vix semel febris et reliqua affectionis pulmonum et nervorum systematis signa observantur.

Imo saepe magna ventriculi desorganisatio existere potest, dum ne unum quidem symptoma consensuale animadvertitur. Tamen Wilson Philip compluribus probat exemplis, in decursu gastritidis chronicae per sympathicam pulmonum irritationem phthisin esse exortam; quam ille »phthisin dyspepticam» vocat. Mihi autem in suspensio esse videtur, utrum phthisis ista nexum aliquem causalem cum gastritide aluerit; vix enim phthisin tuberculosam sine universa praedispositione ex locali quadam irritatione oriri posse, persuasum habeo.

DECURSUS ET EXITUS MORBI.

Chronica ventriculi inflammatio tardissime decurrere solet, per aliquod tempus persistere, evanescere et ita pluribus vicibus recurrere videtur, donec tandem continuus et gravis ventriculi morbus efficiatur, ut induratio tunicarum, coalitus cum partibus

vicinis, ulceratio, frequentissima gastritidis sequela, quae haud raro gravissima symptomata inducit.

Utrum carcinoma ventriculi e gastritide chronica exoriri possit, magnum inter medicos certamen fuit. Sed novissimis temporibus imprimis Ph. de Walter (1) luculentissime demonstravit, nunquam scirrhum aut carcinoma ex inflammatione chronica prodire posse, quod praesertim Wenzel (2) contenderat; et paucos adhuc esse existimo, qui huic sententiae, quam clarissimi anatomici amplexi sunt, refragentur. Scirrhus et carcinoma aequae ac tubercula atque melanososis nova et peculiari directione vis plasticae oriuntur, nequaquam autem exitus inflammationis sunt; inflammatio est morbus localis, scirrhus universalis, constitutionalis, ex universa dyscrasia oriundus. Cavendum profecto est, ne quaevis benigna induratio pro scirrho aut quodvis ulcus pro carcinomate habeatur, in quem errorem multi inciderunt, quia novissimis tantum temporibus anatomia pathologica indolem carcinomatis distinctius eruit variasque ejus species constituit. Jo. Mueller pathognomonicum carcinomatis ventriculi symptoma in eo esse putat, quod tunica muscularis propriam structuram amiserit et in multos eoque regulares loculos partita sit.

(1) Ueber Verhärtung, Scirrhus etc. Journal für Chirurgie und Augenheilkunde von Graefe und Walter, Bd. I. Hft. 2.4.

(2) K. Wenzel, über die Induration und das Geschwür in indurirten Theilen. Mainz 1815.

Plerumque morbus properat ad mortem et raro bona revertitur valetudo, quamquam negari non potest, letalem exitum fortasse ea ex causa tam saepe aegrotum opprimere, quod morbus ipse tam obscurus atque difficilis sit cognitu, ut apta remedia tum demum adhibeantur, cum majora jam incrementa ceperit. Morbum autem sanari posse, si in ulcerationem jam transierit, multi dubitarunt medici, quia in casu feliciter sanato ulcerationem affuisse, nunquam contendi potest; hoc tamen fieri posse, luculentissime perspicitur e sectione cadaverum, in quibus ulcerum cicatrices repertae sunt. Praeclarissimum hujus rei exemplum sistit casus ab Abercrombie enarratus, ubi post mortem in ventriculo praeter duo aut tria ulcera, aperta complures maculae colore albido et griseo inveniebantur, quas ille cum cicatricibus variolarum comparat. Maculae laeviores erant coloremque habebant minus saturatum, quam reliqua tunicae internae superficies, et nihil aliud esse poterant, quam ulcerum cicatrices.

Mors autem vario modo aegrotum conficere potest, et quidem his potissimum rationibus:

I. Post diuturnas molestias aegrotus tandem crescenti virium corporisque consumptioni succumbit, haud raro hydrope universali accedente. In hujusmodi casibus plerumque aut plura minora ulcera inveniuntur, quae ab uno loco ad alterum extenduntur, aut singulare ulcus majus irregulare, tunicis ventri-

culi simul crassescuntibus. Saepe etiam vicina organa, pancreas, hepar, omentum, morbo affecta sunt, ut morbus a ventriculo ad reliqua illa organa prorepisse videatur. In aliis casibus tunicae ventriculi tantum crassiores sunt, aut fungosam metamorphosin praebent.

II. Aegrotus interimi potest haematemesi, quae omnibus remediis pertinaciter resistit, aut brevi tempore rediens mortem infert. Ita Abercrombie duos affert casus, in quibus corrosione vasis sanguiferi copiosum et letale sanguinis profluvium ortum est.

III. Mors oriri potest perforatione parietum ventriculi, cujus contenta in cavum abdominis emanant et vehementem peritonitidem efficiunt, qua aegrotus brevi tempore enecatur. Tum in sectione cadaveris duae inveniuntur differentiae, ad quas Abercrombie animos attendit: aut enim ulcus membranae mucosae sensim sensimque prorepisse et tandem reliquas tunicas perforasse videtur; aut in hoc loco substantiam valde crassescentem invenimus, qua perforata, ulcus circa margines cicatrisatum esse videtur, quippe quod rotundam et distincte circumscriptam cavitatem formet cum glabris marginibus et lateribus, fundo a peritoneo tantum oblecto, quod tenue integumentum si subito rumpitur, exitus letalis irruit. Gérard in libro suo: »Des perforations spontanées de l'estomac« septendecim hujus

rei exempla collegit; in nonnullis casibus ante mortem vomitus chronicus et alia dyspepsiae signa observata erant; in aliis autem priora symptomata obscura tantum fuerunt; quin nonnulli aegroti sat bona usque ad id tempus gavisi erant valetudine. Aliud exemplum legitur mulieris (1), quae vehementi dolore regionis epigastricae corripiebatur, ad quam accessit dolor, dyspnoea et magna virium consumptio. Quae symptomata quidem cesserunt, sed per quatuor dies, simulatque mulier cibos assumserat, redierunt, ita ut intervalla ab omnibus doloribus libera essent. Cum autem paroxysmus quinto die rediret, non amplius evanuit, sed post viginti horas mortem attulit, et secto cadavere in anteriore ventriculi parte perforatio inventa est per ulcerationem inducta diametrum novem linearum habens et levi area inflammata circumdata. Peritoneum inflammatum erat et in cavo abdominis fuscum fluidum reperiiebatur, cui particulae ciborum assumptorum admixtae erant.

Similem casum apposit Boerhaave, qui praefectum classis Hollandiae, Wassenaer, cum post coenam vomere vellet, subito mortuum esse enarrat. Sectione instituta inferior oesophagi pars rupta, et cibi potusque inter coenam ingesti in cavum thoracis effusi erant. Quatuor hujusmodi casus enarrat Abercrombie.

(1) Journal général de Médecine, 1821, Août.

Non semper autem talis perforatio ventriculi per ulcerationem tam subito letalem exitum infert, sed saepe talis cum partibus vicinis exstat coalitus, imprimis cum hepate, ut pars superficiei hujus organi locum ventriculi ulcere deletum expleat itaque effluxum contentorum impediat. Ita Abercrombie casum describit, in quo prope pylorum perforatio diametri pollicis inveniebatur, cujus margines cum superficie hepatis tam arcte cohaerebant, ut hic locus plane clauderetur. Aegrotus ille seriore tempore parva perforatione, quae prope coalitionem sita erat, periit. In alio casu, ab eodem autore allato, ventriculus cum colo transverso ita coaluerat, ut per ulcerationem contenta ventriculi in colon transire possent; ita ut aegrotus, quamquam semper excrementa per alvum deposuit, faeces etiam per vomitum ederet; quod phaenomenon tantum inciso cadavere explicatum est. — Saepe in talibus casibus ventriculum cum pluribus organis concretum videmus, quibus elucet, processum inflammatorium in variis locis et, quod verisimile est, etiam vario tempore affuisse, donec talis affectio inflammatoria in letalem transierit ulcerationem.

SECTIO CADAVERUM.

In multis casibus, ubi inflammatio ad ulcerationem nondum processerat, membranam mucosam ventriculi per majorem aut minorem ambitum crasse-

scentem invenimus; haec portio aut pallidum cinereo-griseum colorem praebet, aut saturiorem, fuscum aut nigrum. Haud raro induratio et crassities omnium ventriculi tunicarum accedit, aut concretio cum partibus vicinis, cum pancreate, hepate, liene, colo etc.

In plurimis casibus autem ulcerationes invenimus, quarum variae formae observantur. Saepe adest ulcus parvum, rotundum, in quo luculenter defectus substantiae et margines laceri animadvertuntur, quodque a magnitudine pisi dimidiati ad pollicis diametrum variat. Hujusmodi ulcus nonnunquam tantum singulare, reliquae ventriculi partes prorsus integrae exstant; saepe autem plura inveniuntur ulcera, sensim sensimque exorta, quorum alia jam cicatrisata esse possunt, alia adhuc progrediantur. In omnibus hisce casibus aut nulla tunicarum ventriculi affectio adest universa et ulcus tantum ad membranam mucosam aut ad folliculos mucosos referendum est; aut illa ulcera cum induratione et crassitie tunicarum conjuncta sunt, ita ut portio indurata tantum ambitum circa ulcera obtineat.

In aliis autem casibus invenimus ulcerationem longe lateque extensam plerumque cum induratione et crassitie tunicarum ventriculi et cum excrescentiis fungosis.

Haud raro inflammatio et ulceratio, a ventriculo ordientes, etiam partes vicinas corripunt; hac ratione Napoleon periisse videtur, in quo praeter

magnam ventriculi desorganisationem totius tractus intestinalis, hepatis et pulmonum affectio reperiatur (1).

AETIOLOGIA.

Quum symptomatologia summis tenebris prematur, difficultates offeruntur majores in perscrutandis causis, quas in multis casibus tantum conjectare possumus; quo fit, ut optimi de gastritide chronica scriptores de aetiology obiter tantum disserant, aut ejus expositione prorsus supersedeant. Plerumque exoritur hoc malum e victus vitiis nimiaque ventriculi irritatione per cibos potusque stimulant, per abusum aromatum acrium, aut spirituosorum. Saepe nascitur inflammatoria ventriculi affectio in hominibus, qui epularum deliciis nimis indulserunt diaetaeque luxuriosa et composita usi sunt, imprimis si vita sedentaria atque otium accedunt; haud raro invenitur in potatoribus, imprimis in iis, qui nimiam spiritus destillati copiam per longius temporis spatium assumerunt. Etiam temperies ingestorum hic consideranda venit; cibi enim nimis calidi, aut potus frigidi post nimiam intentionem inter morbi causas referri debent. Quae ex causa morbus haud raro invenitur apud pistor, qui saepe ad extinguendam sitim, quae panis ca-

(1) *Stockes*, l. c.

lidi deglutitionem subsequitur, aquam frigidam bibere solent (Schoenlein).

Porro e quavis simplice dyspepsia, si diutius perdurat aut negligitur, gastritis chronica oriri potest, cum tali ventriculi statu vel mitissimi cibi minus facile concoquantur et majorem ventriculi irritationem efficiant. Itaque omnes injuriae externae, quae concoctionem offendunt, inter causas numerandae videntur, ut domicilium humidum et impurum, vita sedentaria, otium, animi pathemata.

Quemadmodum autem vitia diaetetica gastritidem efficere possunt, ita omnia remedia acria, si aut intempestive aut in nimis magna dosi, aut per longius temporis spatium porriguntur. Itaque non solum omnia vegetabilia acria huc referenda sunt, sed etiam acida mineralia (quae tamen saepius acutam gastritidem efficere solent), et multa metallorum praeparata, imprimis hydrargyrum muriaticum corrosivum et arsenicum album.

Praesertim arsenicum hanc ob rem tam periculosum et anceps est remedium, et plura exstant exempla, in quibus post usum hujus medicamenti omnia gastritidis chronicae symptomata apparebant. C. G. Neumann (1) plures casus affert, in quibus assumpto arsenico vomitus cruentus et diuturnae dyspepticae molestiae aegrotum maxime confecerint,

(1) Ueber die Krankh. des Menschen. Berl. 1836. Bd. I. 2. Aufl.

aliique enarrantur ab aliis, quare nonnulli eo usque processerunt, ut scirrhum ventriculi ex interno arsenici usu oriri posse contendant. Quod quamquam vix probabile est, et errori diagnostico imputandum videtur, tamen id certissimum est maxima cum providentia hoc remedio esse utendum.

Utrum verum sit, quod Schoenlein affirmat, morbum nostrum saepius in feminis quam in viris inveniri, observatione aliorum confirmandum est. In viginti sex casibus ab Abercrombie, Pinel, Chardelet et Stockes allatis, tredecim numerantur mulieres totidemque viri.

DIAGNOSIS.

Quodsi in omnibus morbis certa diagnosis difficillima est et saepe instituta sectione prorsus alia inveniuntur quam vivo homine exspectabantur, id profecto de nostro morbo maxime valet, qui saepissime sine gravioribus symptomatibus decurrit, subitoque et inopinato aegrotum interficit. Morbi quibuscumque potissimum confundi potest, sunt dyspepsia, cardialgia et scirrhus ventriculi.

Difficillimum est atque gravissimum, chronicam ventriculi inflammationem discernere a dyspepsia. Symptomata gastritidis chronicae, flatulentia, pyrosis, ructus, inflatio ventriculi, ardor et oppressio regionis epigastricae et vomitus non minus adsunt in

dyspepsia, ita ut viri doctissimi, se saepe quod ad diagnosin errasse, ingenue confiteantur. Est autem discrimen illud eo gravius, quod therapia in utroque morbo plane differt, eaque remedia, quae apta sunt atque salubria in dyspepsia, maxime nocent in gastritide chronica. Duo imprimis sunt momenta, quae in hac re perpendi debent, longius aut brevius scilicet temporis spatium, per quod morbus perduravit, et eventus, quem remedia jam adhibita sortita sunt. Gastritis chronica lente irrepere, per longius temporis spatium perdurare et remediis in dyspepsia usitatis non modo non levare, sed etiam in pejus mutari solet. Inflammatoriam morbi indolem suspicari debemus, si dolor regulari typo post coenam accedit, et per concoctionis tempus perdurat; si in certo quodam loco percipitur, qui tactu dolet. Porro gastritis adesse videtur, si dolor tam diu perseverat, donec aegrotus vomitus levetur, quamquam jam supra commemoratum est, morbum sine vomitu satis progredi posse, et vomitum haud raro sine ullo typo, tanquam per accidens et cum exiguo dolore, intrare. Saepe in gastritide chronica vehemens pyroscos gradus exstat, qui post diversissimos cibos, etiamsi parcius sumtos, aegrotum torquet; quae sensatio si adest, tunicam mucosam ventriculi morbo affectam esse, suspicari licet. Grave etiam hujus morbi signum est, si aegroti, quamquam symptomata obscura tantum et leviora videntur, tamen corpore et viri-

bus tantopere prosternuntur, ut ex dyspepsia nullo modo hoc derivari possit. Prae omnibus autem ad constituendam diagnosin necesse est, regionem epigastricam saepius accuratissime perscrutemur, tum pleno tum vacuo ventriculo; si tumor aliquis, aut induratio percipitur, nullum de morbi natura dubium amplius moveri potest. Cavendum autem est, ne medicus remissionibus fallatur, in quibus saepissime aegrotus optima valetudine frui videtur.

Facilior est diagnosi gastritidis a cardialgia, quippe in qua semper considerari debeat, alterum morbum inflammatoriae, alterum spasticae esse indolis. In cardialgiae paroxysmis regio epigastrica retracta est, ita ut saepe corpora vertebrarum per parietes abdominis sentiri possint, in gastritide semper inflata atque tensa; in cardialgiae accessionibus extremitates sunt frigidae, cutis spasmo contracta, pulsus parvus et debilis, urina pallida, quae symptomata desunt in gastritide. In cardialgia plerumque nervorum affectio etiam pectus corripit, ut haud raro orthopnoea aegrotos vexet; in gastritide tantum abdomen afficitur; in cardialgia, ut in quaque neurosi paroxysmi et intermissiones evidentissime discerni possunt; in plerisque autem gastritidis casibus etiam praeter paroxysmos alia dyspepsiae symptomata adsunt.

Nulla autem fere modo gastritidem distinguere

possumus a scirrho, aut carcinomate ventriculi, nisi tumor externe percipiendus diagnosin clariorem reddat. Tamen haec permutatio nullius fere est momenti quod attinet ad therapiam; facile enim intelligitur, quo magis curatio scirrhi ventriculi cum ea gastritidis chronicae congruat, eo majus fore levamen aegrotorum.

PROGNOSIS.

Prognosis in universum mala est, quia morbus plerumque magna incrementa cepit, si aegroti et medici attentionem excitat. Obscuritati symptomatum in prioribus stadiis quod ad funestum morbi exitum haud parum imputandum est, etenim imperitus morbum minoris momenti adesse censet, cum gravis hostis valetudini atque vitae minetur. Hinc non raro fit, ut degeneratio tunicarum ventriculi tantum assequatur gradum, ut vix auxilio artis mors averti possit. Porro autem in nostro morbo prognosis eam ob rem potissimum pejor redditur, quod organon affectum, quotidie cibus assumtis et ipsis remediis irritatur. Cuivis alii organo parcere licet, si laborat; ventriculus autem semper ingesta accipere atque concoquere debet; quo fit, ut inflammatoria ejus irritatio semper augeatur. Praeterea curatio magnam et aegroti et medici patientiam exigit, cum vel levissimum diaeteticum vitium omnia symptomata, quae jam

evanuisse videbantur, subito reducat itaque aegrotum per longum tempus accuratissima uti oporteat diaeta.

Ceterum prognosis pendet a stadio morbi et a viribus aegroti. Gastritis chronica si in prioribus stadiis cognoscitur, priusquam inflammatio ad organicas ventriculi mutationes processit, aptis remediis accurataque diaeta sanari potest; pejor apparet prognosis, si jam ulceratio et induratio exstant, quamquam ne tum quidem de restitutione omnino desperandum est, ut cicatrices ulcerum in compluribus casibus luculenter demonstrant. Sed de hac re jam antea disseruimus.

THERAPIA.

Quodsi morbi naturam atque indolem satis mature detegimus, primum fere locum obtinent detractiones sanguinis locales copiosae atque saepius repetitae; ita ut ternis aut quaternis diebus hirudines ad regionem epigastricam applicentur; quae medendi ratio optimo cum successu a celeberrimis medicis exhibita est. Post hirudines epispastica per longius temporis spatium continuo in usum sunt vocanda, imprimis vesicatoria, aut unguentum tartari stibiati. *Stockes* compositionem commendat e septem partibus axungiae porci et dimidia parte tartari stibiati subtilissime pulverati, quippe quod unguentum pustulas provocet tantum parvas minusque dolorificas, quae si exsiccatae sunt, infricatio repetatur. Se saepissime

saluberrimam hujus remedii vim observasse contendit, et haud raro se vidisse, symptomata, hisce remediis adhibitis jam depulsa, rediisse, si eorum usus seponeretur. Neque minus commendatur externus usus olei Crotonis, ita ut quinque vel sex guttulae ope lintei regioni epigastricae exacte illinantur; postero jam die pustulae erumpunt. — Quantum epispastica efficere possint, praeclarum exemplum docet viri illustrissimi Bécclard, anatomici, qui cum magnis mentis laboribus gastritidem chronicam sibi peperisset, accurata diaeta et usu epispasticorum per longius tempus adhibitorum prorsus sanatus est. Post complures annos erysipellate obiit et inciso cadavere cicatrix ulceris prope pylorum in ea regione inventa est, in qua vivus dolorem perceperat.

Quodsi remedia interna respicimus, plus quam omnia medicamenta valet idonea victus ratio, tam quod quantitatem quam qualitatem nutrimentorum attinet. Aegrotus paucos tantum cibos sumat eosque mitissimos; lac et cibi farinacei in plerisque casibus prosunt. Abercrombie casum affert mulieris, quae vehementi gastrodynia vexata, quotidie, post coenam vomuit et ne levissimum quidem tactum regionis epigastricae tulit, ita ut medici insanabilem ventriculi scirrhum adesse assererent. Quae mulier cum diversissima remedia sine fructu sumsisset, tandem restituta est sero lactis recenter parato, quo solo

nutrimento usa est; ita quidem, ut nunquam majorem copiam, quam cochlear majus hauriret quoties placebat. — Aegrotus omnia spirituosam omniaque aromata cautissime vitet nec unquam ventriculum magna ingestorum copia oneret atque inflet. Eodem modo nimia corporis intentio nocet; quod contrarium est in dyspepsia. Sed recte Stockes adnotat, vetustum proverbium: »medio tutissimus ibis« hic quoque maxime valere. Imprimis enim Broussais ejusque discipuli, qui salutarem hirudinum parcaeque diaetae usum in gastritide chronica viderunt, hac in re modum excesserunt; obliti enim, corpus humanum sine nutrimentis vivere non posse, aegrotum tam diu omnia detraxerunt, ut symptomata removenda potius augerentur; ventriculi enim et totius corporis debilitas tantum assequebatur gradum, ut dyspepsia ad extremum eveheretur.

Remedia interna Broussais (1) nulla adhibebat, praeter aquam frigidam et gummi arabicum; reliqua omnia contempsit, eaque potius nocere et ventriculum irritare contendit. Noli tamen oblivisci, in quaque inflammatione curanda tandem methodum antiphlogisticam tonicae et excitanti cedere debere; quae remedia in nostro quoque morbo felicissimo cum successu adhiberi possunt, dummodo antiphlo-

(1) Lehrstunden über die gastrischen Entzündungen a. d. Französischen. Bern, 1821.

gosis, prout opus est, antecesserit. In prioribus stadiis remedia interna, exceptis iis, quae ad aperendam alvum porriguntur, parum tantum prodesse possunt; quodsi autem inflammatio longius processit eamque in ulcerationem transiisse suspicio exstat, etiam internis remediis aliquantulum fidendum est. Quorum medicaminum quamquam copia non magna est, tamen nonnulla sunt, quae experientissimi viri cum optimo eventu adhibuerunt, imprimis bismuthum nitricum, aquam calcis et acidum nitricum. In nonnullis casibus Abercrombie parvas Calomelanos doses aut opium utilia reperit; nec minus commendat adstringentia, ut gummi kino, radicem Ratanhiae, alumen et ferrum sulphuricum. Bardsley multos casus affert, quos interno morphii acetici usu curaverit; neque minus hoc remedium commendatur a Stokes, qui id tum potissimum laudat, si copiosa acidi fluidi secretio adsit. Incipiendum est a duodecima grani parte bis per diem oblata, tum pedetentim dosis augeatur, donec aegrotus granum unum, aut unum cum dimidio intra viginti quatuor horas accipiat. Refert ille auctor exemplum de viro, qui per nimios labores gastritidem chronicam sibi consciverat, ciborum appetentiam amisit, saepe fluidum acidulum evomit et tam vehementi dolore regionis epigastricae correptus est, ut in paroxysmo humi prostratus alta voce exclamaret. Complures medici, quos consultaverat, malum pro insanabili scirrho ven-

triculi habebant. Crevit autem morbus, ita ut aegrotus omnia ingesta vomitu ederet, saepe sudoribus frigidis laboraret et in extremam maciem incideret. Tandem ad morphium aceticum confugiebatur, ita quidem ut aegrotus ter per diem decimam grani partem sumeret; quod cum per tres dies adhibitum esset, omnia symptomata fere prorsus evanuerant; dolor, vomitus et sudores deerant et aegrotus se plane restitutum putabat. Cum serius, commisso vitio diaetetico, haematemesis intrasset omniaque symptomata rediissent, tamen aegrotus hoc remedio iterum adhibito sensim ex toto est sanatus.

Restat, ut de alvo ducenda in hoc morbo nonnulla dicamus, quippe quae plerumque tardissima sit. Quamquam autem maximi momenti est, contenta intestinorum ejici, quia obstructio affluxum sanguinis ad superiores tractus intestinalis partes adjuvat, tamen hunc in finem nunquam purgantia drastica adhibenda sunt. Recentioribus temporibus omnes medici consentiunt, laxantia non empirice sed caute et semper ratione habita morbi intestinorum porrigi debere; ita in nostro morbo aptissima sunt aut clysmata, aut mitiora eccoprotica.

V I T A.

Ego Arminius Benzler natus Bueckeburgi anno MDCCCXVI die decimo tertio mensis Maji, patre Augusto, Conrectore, matre Carolina, e gente Brinkmann. Matrem vivam et integram hucusque mihi servavit Deus optimus maximus; morte autem, cum duos annos natus eram, ereptus est pater, cuius vices postea suscepit avunculus Fridericus Benzler, matre in matrimonium ducta. Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium Aquisgranense nono aetatis anno adii, ubi humanioribus, quae ad studia academica viam muniunt, me tradidi litteris usque ad annum MDCCCXXXIII. Testimonio maturitatis instructus Berolinum petii, et inter cives Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus per quadriennium hisce interfui praelectionibus:

Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de botanice et historia naturali; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia et splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia universa, de anatomia organorum sensuum et de physiologia, nec non de anatomia comparata et pathologica. In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm duces mihi fuere. Praeterea disserentes audivi: Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice et therapia tam generali quam speciali; Cel. Eck de physiologia, Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Osann de materia medica, de fontibus medicatis et de auxilio in repentinis vitae periculis praestando; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Cel. Kluge de arte fascias rite imponendi, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Juengken de akiurgia, de chirurgia speciali et de ophthalmiatrice; Ill. Hecker de Celsi libris et Burserii institutionibus; Cel. Froriep de akiurgia et anatomia chirurgica. Exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis et obstetriciis et ophthalmiatricis et medico-forensibus interfui

Ill. et Cel. virorum Bartels, Wolff jun., Barez, Rust, de Graefe, Kluge, Juengken, Wagner.

Quod ad rem veterinariam scholas audiui Cel. Gurlt de zootomia, Cel. Reckleben de epizootiis et zoodiaeta, Beat. Naumann de equorum forma externa et habitu; clinicum frequentavi veterinarium Cel. Hertwig.

Quadriennio studiorum absoluto, ab ineunte mense Octobri hujus anni in nosocomio Caritatis medico-chirurgi inferioris munere fungor.

Nunc vero, tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso superatis, dissertatione et thesibus rite defensis spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

THESES.

1. Syphilis localis non existit.
 2. In Dothienenteritide ulcera intestinorum secundaria sunt.
 3. Phthisis pulmonum tuberculosa ex universali prae-dispositione oritur.
 4. Sine anatomia pathologica nulla medicina.
 5. Anthrax idiopathicus morbus est universalis.
-